



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv  
Doctoribvs Reseratvs**

**Escobar y Mendoza, Antonio de  
Lvgdvni, 1659**

III. Practicæ Resolutiones circa præfata.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41066**

430 *Moralis Theologie Tract. III. Justitia,*

Filiij veniunt etiam si hæredes non sint ; si vero fiat mentio, non transit ad filios, nisi hæredes sint. *Venient ne cuncti nepotes?* Ex filia non veniunt, si dicitur dari sibi, & descendebus suis masculis ; secus si dicitur, ut accipiat sibi, & filii que in tertiam generationem.

13. *Transmittit ne pater cui maluerit filio?* Non, nisi hæreditaria. *Transit Emphyteuta in Religionem.* Succedit Religio, si capax sit, & Emphyteus sit hæreditaria ita ut extraneos transfire possit ; sed nominari debet aliquis, cum obitu finiatur, & reuertatur ad dominum. *Transit ne alius fiscum?* Transit, si secularis sit hæreditaria, non si Ecclesiastica. *Transit ne ad extraneos?* Ex verbis planè desumptum est.

14. *Sumptus facti in re Emphyteutica ad quemnam pertinent?* Pertinent ad Emphyteutam quoad aestimationem, quoad proprietatem domini sunt, nisi aliud ex conuentione habeatur.

---

C A P V T III.

*Praxis circa materiam de Emphyteusi ex Societatis Iesu Doctoribus.*

15. *Quidnam sit laudemium, & quandonam soluendum domino possessionis?* Laudemium est quinquagesima pars. Porro quando res emphyteutica ad alium Emphyteutam per venditionem, vel donationem, vel permutationem, vel locationem decennalem transit, soluendum est a secundo Emphyteuta laudemium, seu quinquagesima pars domino directo propter inuestituram seu laborem, quem dominus directus subit inuestiendo, seu mittendo nouum Emphyteutam in possessionem.

16. *Si Ecclesia, vel persona privilegiata concedat domum, vel agrum in censum emphyteuticum redimibilem, emphyteutae gaudebit privilegio exemptionis?* Non gaudebit, (ait Filius) quia tunc dominium non remanet penes Ecclesiasticum sed solum ius recipiendi annuam pensionem. Secus est de aliis Emphyteutis Ecclesiae.

17. *Dixisti Emphyteutam rem perdere, si per biennium non soluit pensionem: rogo, num opus sit iudicis condemnationis?* Affert Molin. *opus esse;* iudicem tamen nihil facere nisi parte petente

petente. Quidam dicunt (ait *Saa.*) posse dominum rem pro- *Saa.*  
pria authoritate accipere. Addo ex eodem *Molina* non per-  
dere eum, qui moram purgat, soluendo statim, nec qui legi-  
timè impeditus non soluit.

18. Renuncians hæreditatem censetur ne Emphyteusim re-  
nunciare? Respondeo negatiuè cum *Saa.*, qui à Sylvest. acce- *Saa.*  
pit. Adiicit ille Emphyteusim Ecclesiæ non præsumi da-  
tam esse nisi in tertiam generationem, nec transire nisi in  
filios veros, quale non est Monasterium, nec illegitimos, ut  
innuimus.



## EXAMEN XI.

De Iustitia & Iure, circa materiam sextam de  
Contractibus onerosis, scilicet  
de Feudo.

## CAPUT PRIMUM.

De substantia, & conditionibus Feudi.

1. **Vid est Fendum?** Contractus, quo res immobiliis  
conceditur alteri quoad dominium utile pro fi-  
delitate seruitioque personali exhibendo, re-  
tentia proprietate.

2. **Quotuplex?** Multiplex quidem est. Præcipua autem di-  
uisio in Antiquum, Paternum, & Notum; & Hæreditarium, &  
non Hæreditarium. In eo ab aliis differt, quod obsequium  
personale esse debeat.

3. **Quinam possunt in Feudum dare?** Qui suorum bonorum  
liberam habent administrationem, & non sunt aliquo iure  
prohibiti. **In particulari?** Dare possunt Papa, Episcopi, Abba-  
tes. Domini item temporales, ut Imperator, Rex, Princeps.

4. **Quinam possunt accipere?** Omnes quidem possunt à  
principalibus dominis, secus si vasalli & domini minores  
in feudum dent.

5. **Quenam res dari in feudum possunt?** Generatim dari  
possunt res immobiles, liberæ, propriæ, & alteri non obliga-  
tæ. Res prohibita alienari in feudum dari non potest, nec in  
feudum nouum res Ecclesiæ.

6. **Exprime**